

Tobiae occurtere apud alios historicos. Non solum enim apud scriptores rerum Assyriacarum, ubi haec accidisse dicuntur, sed etiam apud Iosephum Flavium qui res Iudeorum diligentissime persequitur, altum de hac historia silentium reprehenditur, quod profecto eiusdem historiae falsitatem arguit.

Hae sunt praecipuae obiectiones, quae contra historiam Tobiae affterri solent: quibus ita breviter respondemus.

I. Responsio ad difficultates de Angelo Raphaele.

Falsum omnino est in verbis et factis Raphaelis mendacium contineri. Angelus enim ille ut beneficium Tobiae praestaret iuxta missionem a Deo acceptam, suam personam varis modis occultare studuit, in quo quidem nullum crimen est. Aliud est enim mentiri, aliud veritatem occultare, etiamsi aliorum error inde sequatur, praeiustum si id ad ipsorum bonum et salutem fiat. Quare etiam Christus simili ratione seipsum occultavit quando Mariae Magdalene apparuit sub specie hortulanii, ut non statim ab illa agnosceretur (Io. XX, 14, 15), et iterum quando duobus discipulis in pagum Emmaus euntibus speciem peregrini obtulit, quae eos prohibuit ne magistrum agnoscerent (Luc. XXIV, 13 seqq.). Accedit quod angelii, cum alterius naturae sint, nec nisi in assumpta aliqua specie a nobis videri possint, quando humano modo cum hominibus conversantur iuxta eamdem sensibilem speciem loqui et agere possunt, ac debent, quamvis haec reali eorum natura maxime differat. Itaque prima Angeli responsio, qua dicit se ex filii Israel esse, sequentia itinera Medorum ambulasse affirmat, eo sensu intelligenda est, quod idem Azarias, cuius formam Angelus praeseferebat, haec omnia praesterit. Si enim Angelo licuit determinatae cuiusdam personas speciem praesefere, potuit etiam sub hoc respectu eiusdem personae qualitates et gesta sibi tribuere ut seipsum occultaret. Vel etiam praefatae Angeli responsiones possent de ipsa Angeli persona non autem de forma assumpta intelligi, quo in casu oporteret eas in sensu latiore et subiecto accommodate explicare. Scilicet cum dicit se ex filii Israel esse non ita intelligentium est quod eiusdem naturae ac stirpis fuerit, sed quod depatus ad filiorum Israel custodianum, et eorum saluti diligenter et ex toto animo invigilans ad illorum gentem quodammodo pertinebat. Quod autem dicit se vias omnes Medorum calcasse id accipendum est modo angelicae naturae accommodato scilicet quod

praesentiam suam modo huic, modo illi civitati, vel provinciae ubi Hebrei dispersi erant exhibuerit, et ab uno in alterum locum quo variae viae perducebant transierit. Quare in hisce responsionibus nihil aliud occurret quam levis ambiguitas, seu amphibologia, quam in nonnullis casibus licite adhiberi posse omnes concedunt. Ad alteram responsionem angeli (V, 18): « *Ego sum Azarias Ananiae magni filius* » eadem animadvertenda sunt. Vel enim verba illa ad assumptam speciem sunt referenda et explicari debent: « *Ego sum specie tenuis, et quod attinet ad humanum consortium* » vel de ipso angelo intelligi possunt, sed in sensu impropio et paullisper diverso. Siquidem nomina quibus utitur aliquid significant Angelii naturae et conditioni omnino conveniens: Azarias significat auxilium Domini vel a Domino, Ananias Deus occultus, vel in nubibus habitans, cuius proinde Raphael potuit se dicere filium, cum aliquando Angelii filii Dei vocentur in Sacra Scriptura (Job XXXVII, 7). Denique responsio Angeli, qua dixit se et Tobiam ad Tribum Nephtali pertinere (VII, 3) una vel altera ex rationibus exponenda est quibus diximus prima angeli verba intelligi posse.

II. Respondetur alteri obiectorum classi.

Quod piscis immanis Tobiam invaserit mirum non est, cum id de pluribus piscibus naturalis historiae scriptores affirment, et experientia doceat. Medicinalis vero vis quae illius piscis visceribus inditus fuisse dicitur potuit imprimis naturalis esse, saltem in eo quod pertinet ad oculorum morbos abigendos, quamvis Tobias vim illam ignoraret: vel etiam remedium illa per se efficacia non erant, sed tantum disponebant ad sanitatem quae tandem angelica virtute perficiebatur, ut melius apparebit in sequenti responsione.

Nunc vero dicendum de contradictione quae existere videtur inter IX, 3 et VI, 6 coll. III, 7. Difficultas in eo est quod Tobias cum in domo Raguelis degeneret quae erat in Rages civitate Medorum misisse dicitur Angelum ad Gabelum in Rages civitatem Medorum. Huius difficultati diverse ad interpretibus responsiones dari solent.

Prima responsio quam profert Medina (De recta fide Lib. VI. Cap. 14) nodum praecedit supponens mendum irrepsisse in Vulgatam latinam Tob. III, 7 ubi pro *Rages Medorum* legendum potius sit *Ecbatane Medorum*, ita ut domus Raguelis et Sarae Ecbatani esset, unde postea in Rages Medorum angelus mitti potuit (XI, 3). Nec deest ratio suspicandi hunc errorem. Nam in graeca versione

legitur III, 7 loco Rages Medorum εν Εχβατανοις της Μηδιας, et etiam syriaca versio, et duae hebraicas versiones Munsterii et Fagii habent Ecbatanis, quibus Glaire addit antiquum codicem latinae versionis in collectione Saint-Germain Des Prés. Bellarminus Lib. I. De Verbo Dei Cap. XI hanc hypothesis reiecit ob nimiam differentiam inter voces Ecbatanis et Rages. Verum frequenter accidit ut notari unam vocem alteri omnino dissimili substituant, cum scilicet analogia locorum, et memoriae lapsus errorem parere possunt. In casu nostro Rages Medorum toties in libro Tobiae nominata scriptoris animum ita occupare potuit, ut eam scriberet etiam ubi Ecbatanis scriendum fuisset, praesertim cum vox Medorum utrobique occurrat.

Altera responsio est eorum, qui nullum errorum in Vulgata editione supponentes animadventunt nomen *Rages* tum urbem, tum integrum provinciam aetate Tobiae designasse, et in eius libro modo unam, modo alteram significationem praesseferre. Scilicet Gabelus, ad quem Angelus missus est, in urbe Rages morabatur, Raguelis autem et Sarae domus, ubi erat Tobias, non in eadem urbe, sed in eadem provincia, que item Rages vocabatur, existebat, scilicet, ut aliae versiones speciatim indicant, in Urbe Ecbatanis, quae in eadem provincia Rages continebatur. Nec obstat quod dicitur Tob. III, 7 Sarae domum fuisse in Rages civitate Medorum. Siquidem vox *civitas* aliquando etiam de integra provincia usurpatur a Latinis, et in Chaldaica lingua, qua librum Tobiae scriptum fuisse scimus, vox מְדִינָה vel מְדִינַת (medina, medintha) tum provinciam tum urbem significat.

Tertia responsio est illorum, qui supponunt duas Rages in regione Medorum fuisse sicut in Palestina duae erant Bethlehem, et in Europa duae sunt Viennae, duo Lugduna, plures Augustae etc. Quare domus Raguelis et dominus Gabeli in duabus urbibus diversis extitissent, ita ut ab una ad aliam mitti potuerit Angelus. Sacer Textus (V, 8) hanc hypothesis confirmare videtur cum urbem Gabeli designans aliquid addit ad illam determinandam inquiens: « qui moratur in Rages civitate Medorum, quae posita est in monte Ecbatanis. »

Quarta responsio quam sequitur Bellarminus, quaeque inter recentiores communior videtur, distinguit urbem Rages propriam dictam ab eius viciniis vel suburbanis, quae latiori quodam sensu

eodem nomine appellari possunt, quemadmodum qui in agro Romano moratur, etiam pluribus milliaris procul ab Urbe, Romae esse dicitur. Itaque supponunt domum quidem Raguelis in urbe Rages fuisse, ibique Tobiam Sarae nupsisse, dein vero ad nuptialia festa celebranda totam familiam cum Tobia in suburbanam villam concessisse, quae ita vicina esset ut lato sensu dici posset esse in Rages Medorum, et ita distans ut inde mittendus fuerit Raphael in urbem Rages ad Gabelum conveniendum. Quod etiam videtur confirmari ex eo quod Gabelus ab Angelo nomine Tobiae invitatus statim ad locum ubi sponsi erant se contulit, et ad nuptiale convivium venit tamquam ad vicinum locum, ut textus narrationis indicat (IX, 3-12).

Quinta denique responsio est illa, quam proponit laudatus Glaire, scilicet familiam Raguelis in urbe Rages primum habuisse, ubi septem Sarae mariti a Daemone occisi sunt, postea vero domicilium mutasse. Quod quidem verosimile videtur tum ob timorem vindictae ex parte propinquorum aliquius ex viris occasione matrimonii interfectis, tum ad dolorem lenientium et tristes reminiscencias oblitterandas, tum denique ob speciale Providentiae Divinae consilium. Nec Scriptura huiusmodi hypothesis excludit: quamvis enim Tob. III dicat Saram in Rages Medorum commoratam fuisse antequam Tobias cum Angelo ad eam venirent, non tamen clare affirmat eam ibidem mansisse usque ad nuptiarum celebrationem. Haec tamen responsio aliquantum violenta videtur consideratis verbis Cap. VI, 6-11 ubi videtur Raguelis familia exhiberi in praefata urbe commorans cum Tobias venit, et Sarae nupsit.

Omnes istae responsiones plus minus probabiles sunt, et contradictionem omnem inter libri narrationes apparentem removent.

III. Responsio ad tertium objectionum caput.

Quae narrantur de Asmodaeo daemone mira quidem sunt, sed minime absurdia. Nihil scilicet absurdii reperiatur sive in agendi ratione daemonis erga Saram eiusque viros, sive in modo quo dicitur a Tobia expulsus et ab Angelo religatus.

Ad *primum* quod attinet mirum non est Daemonem hominibus nocere velle, quod semper desiderat et quantum a Deo permittitur etiam perficit, ut ipsa Scriptura et Ecclesiasticae historiae passim testantur. Id autem facilius admitti potest cum hominis culpa intercedit, quam in septem illis viris locum habuisse communiter

docent interpretes, imo verba ipsa Archangeli non obscure insinuant Cap. VI, 16, 17 ubi respondens Tobiae, qui timebat Sarām accipere in uxore ob praedictam causam, ait: « Audi me, et ostendam tibi qui sunt, quibus praevalere potest daemonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita videntur, sicut equus et mulus quibus non est intellectus, habet potestatem daemonium super eos. » Ex quibus verbis colligitur viros illos ob suam effraenatam libidinem daemonis potestati obnoxios fuisse. Interim vero Deus id permettebat tum ad illorum peccatum punientum, tum etiam ut Sarām Tobiae reservaret, cui eam tradere decreverat, ut expresse idem Angelus testatus est VII, 12 inquiens patri pueras: « Noli timere dare eam isti (Tobiae), quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua; propterea alius non potuit habere illam. » Quod autem Tobias dicat Sarām a daemone adamatum fuisse, id imprimis in sola graeca versione legitur (Cap. VI, 14 οτι διπτονον φιλει αυτην), non autem in Vulgata Latina, quae immediate ex textu Chaldaico a Hieronymo expressa est: quare possemus merito dubitare an verba illa ad originarium textum Tobiae pertinentes. Verum, si etiam admissis, verba sunt Tobiae qui facile potuit ex vulgari opinioni illud credere, nec Scriptura eius sententiam probat, nec Angelus eam confirmat, quamvis ab ea corrígenda abstineat, quia necessarium id non erat, nec seipsum prodere volebat. Opinio quoque aliquod corporis genus daemoniorum tribuebat apud Hebreos olim invalusisse videtur, quemadmodum etiam apud nonnullos Christianos primorum temporum (1); qua opinione admissa, facile quis sibi persuadere poterat daemones carnali amore affici posse.

Ad secundum quod atinet, de modo quo Asmodaeus expulsus et religatus dicitur, paulo difficultius quaestio oritur. Itaque breviter respondemus duas extare interpretum explicaciones, quarum 1^a totum factum ex Angeli virtute immediate repetit, ita ut fumus ille ex iecore piscis excitatus nihil valuerit ad daemonem fugandum, sed signum tantum fuerit momentum quo daemon ab illo loco discedere cogebatur ab Angelo: quod quidem ex serie narrationis confirmari videtur saltem iuxta Vulgatam latinam VIII, 2, 3; ibi enim non dicitur daemonum per fumum ejectum esse, sed statim ac-

(1) Vide Porphyrium *De Abstinentia* Lib. II, Origenem lib. III C. *Celum*, Grotium in Ps. 103, etc.

Tobias partem iecoris posuit super carbones vivos additur: « Tunc Raphael Angelus apprehendit daemonum, et religavit illud etc. » quo videtur innu diaboli ejectionem angelicae virtuti unicella tribuendam esse, iuvantibus utique et tamquam causa meritaria concurrentibus piis precibus et eximis virtute coniugum. Si graeca versio videtur fumo tribuere daemonis fugam, dum ait Asmodaeum hausto fumo iecoris fugisse, id posset per metaphoram non incongrue explicari, fuga enim statim post excitatum fumum sequuta est, quamvis ab illo tamquam causa non penderet. Ita multi interpres cum Tirino. 2^a Opinio contendit, daemonum vere ejectum fuisse fumo iecoris piscis si non directe, saltem indirecte, scilicet ex eo quod fumus ille vim habet et sedandi concupiscentiam, quae causa fuerat cur septem alii viri daemonis arbitrio traherentur, et ideo remota causa, vel conditione, daemonis potestatem irritam evasisse. Id sane videtur magis conforme sacro textui, ubi non solum Asmodaei expulso ad fumum illum facta dicitur VIII, 2, 3, sed etiam clarius in Cap. VI, 8 affirmatur ab Angelo: « Fumus eius extricat omne genu daemoniorum sive a viro sive a muliere, » quo certe videtur aliqua vis fumo tribui ad daemones fugandos. Si daemonibus corporeis aliqua substantia tribueretur etiam directus in illos fumi influxus facile intelligeretur: verum cum vera et communis sententia sit daemones puros spiritus esse, indirectam tantum fumi in illos actionem cogimur admittere in sensu superiori explicato, scilicet quod fumus ille corporis et animi dispositionem daemonis operationi favente removeret, et contraria in duceret. In hoc vero nihil absurdum aut incredibilis occurrit, etiam secluso miraculo, seu prodigiosa qualitate iecori piscis divinitus concessa. Siquidem medici quoque et naturalis philosophiae tractatores vim istam sedandi libidinem plaribus plantis, radicibus, metallis et odoramentis aliisque naturalibus remedii inesse docent. Ita ex gr. de salice hoc tradit Plinius (Lib. 24. Cap. IX.) et alibi de Nymphaea, idemque de sulfuris odore insinuat Ovidius lib. I de Remed. Amoris. Huc etiam pertinere potest quod legimus in Ios. Flavio Antiq. Lib. VIII Cap. 2 et de Bello Iud. Lib. VII. Cap. 13, Hebreis quasdam radices notas fuisse, quae naribus energumenorum admodum daemones vim arcebant, quod remedium Rabbini a Salomone traditum dicunt; ita etiam quod legimus in Plutarcho Lib. de Fluviis scilicet lapillum quedam fabae speciem praferentem in Nilo

reperi, qui pariter admotus naribus daemone a corpore abigebat, quamvis hoc fabulosum videatur: denique in ipsa sacra Scriptura occurrit factum Davidis sonitu citharae expellentis *spiritum malum* a Saulo 1 Reg. XVI, 23: « David tollebat citharam et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat; recedebat enim ab eo *spiritus malus* » scilicet per contrariam dispositionem in Saulem inductam, quemadmodum in casu nostro factum dicimus.

Utraque sententia simul coniungi potest si dicatur daemonium indirecte quidem, seu dispositivo, per fumum electum fuisse, direcione autem et efficiente ab Angelo, cuius virtute coactum fuit discedere, et procul abiire.

Hic vero nova difficultas oritur ex modo quo Angelus Raphael dicitur daemone Asmodaeum ahegisse VIII, 3. Dicit enim Textus: « Tunc Raphael angelus apprehendit daemonum, et reliquit illud in deserto superioris Aegypti. » Quomodo, inquit adversarii, potest apprehendi purus spiritus? Quomodo vinculis alligari potest? quomodo denique hic locum habet desertum Aegypti, quasi posset Diabolus loco includi, aut non idem fuerit illum in quamvis aliam regionem ablegare? Respondemus haec omnia metaphoris locutionibus expressa fuisse a Sacra Scriptura, eaque prolecto intelligenda esse modo spiritibus convenientia. Itaque apprehendere daemonium significat superiori virtute illud cogere; illud autem religare est eius naturalem virtutem impedire, ne alii noceat; denique ad regionem aliquam illud coarctare est illi exercitium suae potestatis non permittere extra aliquem determinatum locum. In quibus omnibus nihil est quod spirituali naturae repugnet. Nec desunt similes locationes in aliis Scripturae locis. Ita in Apocalypsi XX, 2 similia prorsus leguntur: « Et apprehendit (Angelus) draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanás, et ligavit eum per annos mille. » Similia occurrant in Epist. Iudee v. 6: « Angelos vero, inquit, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in iudicium magni diei *vinculis aeternis* sub caligine reservavit. » Vid. etiam 2. Pet. II, 4. Sed cur nam dicitur in deserto superioris Aegypti religatum fuisse diabolum? Resp. fortasse haec verba metaphorice intelligi posse ita ut dictum sit in deserto Aegypti ad indicandum in genere locum remotum, et ubi diabolus nocere non possit. Verum etiam si proprie-

ea verba accipiuntur nihil est quod fidem superet; quamvis enim non sint haec curiose inquirenda, facile intelligitur locum illum relegationi Asmodaei convenientissimum fuisse, ut scilicet in incolatum et desertum locum abigeretur ubi suam nocendi voluntatem contra homines exercere non posset. Nam desertum superioris Aegypti est regio Thebaidos, quae dum post ob anachoretarum sanctitatem celebris evasit, tunc vero nullus habebat incolas et omnino invia et horrida erat ut eam describit Hieronymus Comm. in Ezech. XXX: « Ibi, inquit, Nilus innavigabilis est, et cataractarum fragor, et omnia invia, plenaque serpentum, et venenatorum animantium. » Optimas proinde locis in quo diabolus divina virtute coerceretur, qui etiam in Evangelio Matth. XII, 43, Luc. XI, 24 dicitur postquam ab homine exierit ambulare per loca arida et inaquosa, nec requiem invenire. Ex Ecclesiastica historia scimus in praefato deserto Thebaidos sanctos Eremitas ex. gr. Paconium, Antonium, Macharium, aliosque saepè cum daemonibus collectatos fuisse etiam visibiliter et physice eius appetitibus, et nocere consonibus.

IV. Solutio postremae difficultatis ex silentio historiae profanae.

Ab huiusmodi obiectione breviter nos expediemus. Silentium quorundam auctorum contra positivum aliorum testimonium nihil valere saepè alias observatum est, praesertim cum facta eiusmodi sint ut nulla fuerit alius auctoribus occasio ea commemorandi. Porro Tobiae historia quantumvis pulchra, et utilitate plena, privati tamen hominis privateque familiae historia est. Nihil igitur mirum si historiae Assyriacae scriptores, aut Ios. Flavius Hebraeorum historiam narrans dum publicos utriusque gentis eventus et factorum seriem referunt Tobiae facta neglexerint. Accedit, ad Iosephum quod attinet, eum sibi proposuisse sacram Hebraeorum historiam pertinere quae in canonice eorum libris continetur: iamvero liber Tobiae nec hebreæ scriptus erat, nec in Esdrino sacrorum librorum canone recensebatur. Quinimo nonnullas etiam historias in canonem relatas aliquando citatus auctor omisit, ex. gr. historiam Iobi. Assyriorum vero libros, seu laterculos fictiles cum inscriptiōnibus, licet quamplurimos nunc habeamus, nondum tamen certa et continua historia ex his colligi potuit: quare nec probare possunt adversarii neminem ex illis de Tobia scripsisse.

S. VI. De morali doctrina librorum V. T.

Postquam praecipuas difficultates enodavimus, quea contra *historiam* nostrorum librorum afferri solent, operaे pretium erit pauca subiicere de iis, quea contra *moralem* eorumdem doctrinam obiciuntur. Haec quidem libros *morales* et *sapientiales* imprimis respiciunt, praesertim vero Psalms, Canticum et Ecclesiasten. De iis quea contra Canticum Salomonis afferuntur sufficere possunt quea paucis perstrinximus cum de illo libro loqueremur, ubi ostendimus non de impuro aut carnali amore ibi sermonem esse, sed de legitimo, mystico ac spirituali. Hie itaque breviter dicemus de psalmis et de Ecclesiaste. De quibus sit sequens

THEISIS XXXVI.

Libri morales V. T. praesertim Psalmi et Ecclesiastes nihil continent, quod rectae ratione aut bonis moribus repugnet.

Pars I. Objectiones morales contra librum Psalmorum.

Obiciunt 1^a in Psalmis frequenter apparet odium inimicorum, et studium vindictae. Huc pertinet praesertim *imprecationem*, que passim in eo libro occurrit, praeceps vero in ps. 108, qui totus imprecationis tetricis contextitur adversus David inimicos. Et primo quidem de *malis temporalibus* legitur: « Constitue super eum peccatorem: et diabolus stet a dextris eius..., fiant dies eius pauci.... scrutetur foenerator omnem substantiam eius: et diripient alieni labores eius.... et dispereat de terra memoria eius etc. (vv. 6. 8. 11. 13). Quinimo non solum temporalia malainimico desiderantur, sed etiam *spiritualia*, quod in nullo casu licet. Huc pertinet illa: « Cum iudicatur exeat condemnatus, et oratio eius fiat in peccatum.... In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini.... fiant contra Dominum semper » (7, 14, 15). Denique non solum contra inimicos ipsos sed etiam contra *innocentes* eorum filios et uxores imprecations diriguntur: quo pertinent verbi illa: « Fiant filii eius orphani, et uxor eius vidua. Natantes transferantur filii eius, et mendicent: et eliciantur de habitacionibus suis.... fiant nati eius in interitum » et similia (9, 10, 13). Haec certe cum virtute et morum sanctitate conciliari non possunt.

Similia occurunt in aliis psalmis adversus peccatores et inimicos. Ita ex gr. ps. 9, 18: « Convertantur peccatores in infernum » et in ps. 34, 8: « Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, et angelus Domini coactans eos. Fiat via illorum tenebrae et lubricum, et angelus Domini persecutus eos. » Item ps. 34, 16: « veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes » et ps. 36, 9. contra inimicorum filios: « Beatus qui tenebit, et affidet parvulos tuos per petram. »

Obic. 2^a In Psalmis non rectam ideam futurae vitae et immortalitatis animorum proponi. Tale est illud ps. 6. 6: « Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem (idest in sepulchro) quis confitebitur tibi? » et illud ps. 113. 17, 18: « Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos qui vivimus benedicimus Domino » idest post hanc vitam animae iustorum superstitives non sunt. Quibus simile est quod legitur in ps. 87, 6, 12: « Sicut vulnerati dormientes in sepulchrī, quorum non es memor amplius et ipsi de manu tua repulsi sunt.... Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam? numquid cognoscetur in tenebris mirabilia tua? etc. »

Haec sunt quea adversus moralem doctrinam Psalmorum obiciunt: quibus breviter respondehimus.

Resp. ad 1^a. Imprecationes psalmorum nequaquam pravum ulciscendi animum continent, sed vel iustitiae zelum, vel vaticinium aut simplicem praedictionem modo optativo vel imperativo expressam, vel meram exaggerationem orientali poetico stylo propriam. Et sane illicitae vindictae studium in Regio Psalte admittere non possumus cum mitissimum eius ingenium, et mirabilis prorsus mansuetudo aliunde nota sit. David enim incredibili animi moderatione Saulis persecutionem toleravit, et quin mortem aut mala eidem optaret, eum contra defendit, et ab eo laetando abstinuit cum in spelunca occasio sese opportuna obtulit illum occidendi (1 Reg. XXI–XXIII, XXIV, 4–10); denique mortuum flevit, et inuenem qui vitam illi eripuisse gloribatur severe punivit (2 Reg. I). Tum vero filium Saulis Isbosheth a praefectis militum occisum pariter doluit, et occisores morte multiclavat (2 Reg. IV), diligenterque quæsivit aliquem de modo Saul cui misericordiam ostenderet, et cum Mithphoseth Saulis nepotem claudum invenisset ei restituit omnes agros Saulis, eumque ad quotidianaë mensae consortium admisit

(ib. IX, 4, 13). Eamdem mansuetudinem ostendit erga rebellem filium Absalon (2 Reg. XV. XVIII), quinimo etiam Semei atrocissimam iniuriam sibi inferenti pepercit, suisque militibus prohibuit ne eum occidere (ib. XVI, 3–12). Haec et alia praeclara mansuetudinis exempla in historia David occurront: quare legimus in principio ps. 431: « Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius » (ut est in Vulgata), et in ps. 7, 5 ipse David aiebat: « Si reddidi retrahentibus mihi mala decidam merito ab inimicis meis manis. » Post haec liberum non est praefatas Psalmorum imprecatioes in malum sensum trahere, sed benigne explicandae sunt. Quod quidem variis modis fieri potest pro varia occasione, et diverso locorum contextu. Sanctus Thomas huic obiectio respondens, 2, 2 Quæst. 23, Art. VI, ad 3 tres modos indicat inquiens: « Huiusmodi imprecatioes, quae in sacra Scriptura inveniuntur tripliciter possunt intelligi. Uno modo per modum prænuntiationis non per modum optationis, ut sit sensus: convertantur peccatores in infernum, idest, convertentur. Alio modo per modum optationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad poenam hominum, sed ad iustitiam punientis secundum illud ps. 57: laetabitur iustus cum viderit vindictam, quia nec ipse Deus puniens laetatur in perditione impiorum, ut dicitur Sap. 1, sed in sua iustitia, quia: Iustus Dominus et iustitias dilexit (ps. 10). Tertio ut desiderium referatur ad remotionem culpe, non ad ipsam poenam, ut scilicet peccata destruantur, et homines remaneant. » Hucusque Angelicus Doctor.

Ad primum modum quod attinet communior haec est sanctorum Patrum expositio ut ex. gr. Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Eusebii, Theodorei etc. qui etiam *praedictiones* illas in ps. 108 ad Iudam proditorem speciatim referunt. Quod autem formulae illæ imperativa vel optativa ut merae prædictiones haberi possint ex indeo grammatices hebraicae oritur, in qua deest tertia persona imperativi ac pro illa tertia futuri adhibetur: quare in hebreico textu omnes praefatae imprecatioes per futurum efferruntur, et licet a Vulgata per formam imperativam reddantur, per futurum latum aequre reddi possunt. Quod etiam in aliis Scripturæ locis observatur ex. gr. Is. XIII, 16, Os. XIV, 1 ubi Vulgata Latina optativum habet, sed proprie futurum intelligentum est. Haec quidem expositio si non omnibus obiectis locis, saltem ple-

risque applicari potest. Ad secundum modum quod attinet etiam tempus imperativum vel optativum retineatur, adhuc tamen defendi et laudari possent Psalmorum imprecatioes, si scilicet poenae impiis desiderari dicantur non ex privatae vindictæ amore, sed ex iustitiae zelo, ut nempe ordo violatus reparetur, ut innocentes ab iniqua oppressione liberentur, ut tandem Dei providentia ac sanctitas ab impiorum calunnia vindicetur, qui peccatorum prosperitatem intuentes ipsam Dei providentiam irrident et negant. Huiusmodi affectus ac zelus eo magis in David supponendus est quod ipse rex esset populi electi, simulque propheta & divinae voluntatis interpres, eiusque persecutores eodem tempore et totius populi, et Dei omnipotentis hostes essent. Quinimo quum ipse Dei nomine et Spiritu Sancto inspirante ea scriberet, ipsius Dei, ut ita dicam, affectus induebat et exprimebat, qui quidem impiorum punitionem non solum temporalem sed etiam aeternam, supposita eorum finali obstinatione, iustissime probat et vult, et cui vindicta maxime convenit iuxta illud Deut. XXXII, 35: « Mea est ultio, et ego retribuum in tempore. » Tertius denique modus a S. Thoma indicatus, quod nempe desiderium imprecantis non referatur præcise ad poenam infligendam, sed potius ad culpam removendam pluribus locis explicandi valere potest. Optat scilicet sacer Scriptor ut severitate poenarum deterreantur peccatores, et a peccatis cessent, ut eorum exemplo iusti non depraventur, et forte ipsi peccantes ad Dominum revertantur iuxta illud ps. 82, 17: « Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine. »

Hisce addere possumus, quod antea innuimus, stylum Orientalem, praesertim in poesi, multo vehementiorem esse nostro loquendi usu, quare nonnulla hyperbolica esse possunt: qua ratione etiam similes imprecatioes in libro Iobi occurrentes (III, 3–15, VI, 8, 7 etc.) explicari posse passim docent interpretes.

Nunc vero ut de ps. 108 pauca in specie dicamus, imprimis omittenda non est quorundam expositio, qui nodus difficultatis secant contendentes imprecatioes illas vv. 3–19 non esse Davidis contra inimicos suos, sed viceversa inimicorum contra David, quas ipse ex eorum persona recitat, ut postea auxilium Dei contra illos imploret (v. 21, 26–28). Ita multi ex protestantibus imprimis David Michaelis, et nonnulli etiam Catholici ut Marini, Mingarelli, Mat-

tei etc. Contextus psalmi huic expositioni favere videtur. Et sane in ipso Psalmo exordio incipit propheta expondere quid sit de quo doleat, idque dicit esse contumelias et convicia inimicorum: « Deus, inquit, laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, et os dolosi super me apertum est » quod melius explicat in sequentibus versiculis dolens de locutionibus *dolosis* et de *sermonibus odii* (v. 2), de *detectionibus* (v. 3) et de *odio* (v. 4) inimicorum suorum: tum vero in v. 5 incipit ex abrupto in singulari numero: « Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a destris eius » et alias imprecatioes addit usque ad v. 19. Quare haec videntur esse ipsa inimicorum maledicta contra eum prolati, de quibus in primis versiculis generatim conquestus faerat, ita ut ante illa verba: « Constitue super eum etc. » subintelligendum sit participium **בְּנֵי נָאָר** dicentes, quod etiam in aliis psalmis omittitur, et suppleri debet ad mutationem subjecti loquentis intelligendam (1). Rursum completis imprecationibus v. 19 addit: « Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum: et qui loquuntur mala adversus animam meam, » quod videtur referri ad praecedentia inimicorum verba (v. 5-19). Mox in v. 20 divinam operam contra haec implorat: « Et tu (tu autem), Domine, fac mecum propter nomen tuum.... libera me etc. » et in sequentibus de convicis et imprecationibus inimicorum iterum loquitur: « Et ego facius sum opprobrium illis (v. 24)... maledicent illi et tu benedices (v. 27)... Induantur qui detrahunt mihi pudore » (v. 28).

Quantumvis speciosa videatur huiusmodi exposito non audemus tamen eam admittere tum quia mysticum et sublimiorem sensum psalmi de medio tolleret tum propter contrarium fere omnium Patrum interpretationem, tum praesertim propter testimonium S. Petri qui expectantibus Apostolis ac discipulis adventum Spiritus Sancti in coenaculo, proponens alium Apostolum in locum Iudee proditoris sufficientem esse ipsi Iudee applicat verba nostri psalmi (v. 7): *Et episcopatum eius accipiat alter: « Viri fratres inquit, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Iudea, qui fuit dux eorum, qui comprehendenderunt Iesum.... scriptum est enim in libro psalmarum.... fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea (Ps. 68, 23) et: epi-*

(1) V. ex. gr. Ps. II, 3, Ps. XXI, 9, etc.

scopatum eius accipiat alter (Ps. 108, 7). » Quamvis enim S. Petrus ibi non utatur solemniiori illa formula *ut impleretur Scriptura*, aegre tamen potest eius allegatio explicari in sensu *accommodato*, quasi nempe Iudee proditori accommodaverit verba illa (Ps. 108, 7), quae non de Iudea sed de David ab inimicis prolatas fuissent.

Nec admitti potest mysticus illorum verborum sensus, non enim decet iustum ac sanctum David figuram seu typum dicere impium ac proditoris Iudea. Nec denique verosimile est verba illa inimicorum duplice habuisse sensum literalem alterum ab inimicis intentum, alterum a Spiritu Sancto intellectum, quemadmodum ex. gr. scimus factum esse in verbis Caiphae contra Christum prolatis (Io. XI, 49, 51). Accedit etiam plura in contextu inveniri quae Davidi nullatenus convenient, queaque etiam hostes insano odio excacebat nunquam contra illum proferre potuissent (1).

Quare recedendum non est a communi interpretatione qua omnes imprecatioes (ps. 108, 5-19) ipsi David tribuntur. Explicanda autem sunt uno vel altero ex iis modis quos superius innuimus. Si queratur autem quinam sit singularis ille inimicus contra quem praefatae imprecatioes diriguntur, alii respondent esse Iudam, ita ut David hic loquatur in persona Christi, cuius typum gerebat, alii dicunt esse Doeg Idumaean principem familiarium Saulis, et Davidis inimicum, alii dicunt esse Achitophel prius amicum, postea proditoris Davidis, et praecipuum rebellis Absalom fautom, ita tamen ut verba v. 7 propter Petri testimonium ad Iudam referenda sint. Omnes istae sententiae simul componi possunt si dicamus totum locum v. 5-19 duplēcē habere sensum, literalem quidem de David eiusque hostibus, mysticum autem de Christo eiusque persecutoribus, imprimis Iudea proditore. Haec de prima obiectione.

Resp. ad 2^o omnes Psalmos de altera vita tum felici iustorum, tum miserae impiorum rectissimam ac sublimissimam ideam ingere. Talia sunt illa: *Satiabor cum apparuerit gloria tua: Inebriabuntur ab ubertate domus tuae.... In lumine tuo videbimus lumen*, et alia similia. Impossibile est igitur dubitare quin David sacerdotor et propheta recte senserit de animorum immortalitate, et de altera vita. Oportet itaque alio sensu explicare obiecta verba, quae contrarium aliquid videntur continere. Ad hoc autem intel-

(1) Legi potest de hac re Patrixi in op.: *Cento Salvi tradotti letteralmente dal testo Ebraico, e commentati*. Roma 1875, pag. 285 seqq.

ligendum praemittendum est vocem *infernus*, hebraice *seol* סְאֹל, non sepulchrum significare (ut quidam volunt praesertim inter protestantes), sed locum, vel receptaculum animarum, quae a corpore separatae ibi adventum Redemptoris expectabant si in Dei gratia vitam finissent, vel perpetuo detinebantur inter tormenta si in peccato decessissent, et nonnisi indirecte aliquando sepulchrum designare (1). Hoc positio Prophetæ dicit in inferno homines Deum laudatores non esse, sive quia animae illorum qui aeternis suppliciis addictæ sunt Deum non laudant sed blasphemant, sive potius quia omnes mortuorum animæ etiam instorum non ita Deum laudant in inferno quemadmodum nos qui vivimus facere possumus et debemus, publica scilicet laude quæ aliorum sensibus subiecta est, societas felicitatem promovet, iustos aedificat, malos ad poenitentiam excitat, quæ omnia a solis hominibus in societate viventibus praestari possunt. Animæ vero mortuorum ab hominum sensibus remotæ interno tantum cultæ et a nostro diverso Deum laudare possunt. Id sane et non aliud prophetæ verba innunt cum vox *zecher זָכֵר* quæ in ps. 6. 6 occurrat queaque per voces memor erit redditur in Vulgata Latina, non simplicem recordationem vel laudem quæcumque denotat, sed publicam et solemnem laudis et cultus celebrationem (Vid. cit. Lex. Gesenii ad hanc vocem).

Pars II. Objectiones morales contra librum Ecclesiastis.

Paulo graviora sunt quæ ex libro Ecclesiastis obici solent. In hoc enim libro falsas doctrinas Epicureismi, fatalismi, aliosque similes errores se invenisse putant multi ex recentioribus incredulis cum Voltaireo, quibus præieverant antiquiores nonnulli haeretici, de quibus loquitur Philastrius in haeresi 133, nec non antiqui nonnulli Iudeorum doctores de quibus mentio fit in Talmude (Tract. *Sciabath* Fol. 50) et apud S. Hieronymum (Com. in Ecclesiast. XII.). Horum argumenta breviter expendemus.

Obit. 1^a Epicureorum doctrina in libro Ecclesiastis aperte docetur. *Imprimis* enim nihil magis commendat quam edere, bibere et laetari, et hanc dicit esse hominis destinationem super terram. Ita ex. gr. postquam deflevit rerum omnium vanitatem, et multiplices huius vitae afflictiones concludit se amplius labore nolle

(1) Vid. Ios. Montaldi in sua Buxtorfiani lexici editione, et Drach in *Lexico manuali Gesenii* ab eo expurgato Ed. Migne, pag. 595.

(II. 20): « Unde cessari, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole » et paulo post generatum concludit (v. 24): « Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animae suae bona de laboribus suis? » Et iterum (III. 13): « Omnis enim homo qui comedit, et bibit, et videt bonum de labore suo hoc donum Dei est » quæ etiam repetit v. 22, et clariss V. 17-19 ubi iterum haec commendat, et addit: « Et hæc est pars illius (hominis). » Secundo eo usque progreditur in bonorum materialium commendatione ut alteram vitam neget, vel in dubium revocet, et nullam differentiam ponat inter brutorum et hominis destinationem. Sane III. 48, 19 ait: « Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestias. Idcirco unus interitus est hominem, et iumentorum, et aequa utriusque conditio: sicut moritur homo sic et illa moriuntur... et nihil habet homo iumento amplius » et paulo post (v. 21): « Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus iumentorum descendat deorsum? » Unde iterum concludit laetandum esse in hac vita, et hanc esse hominis partem: « Quis enim, inquit, eum adducet ut post se futura cognoscat? » (v. 22). Haec prorsus similia sunt iis quæ in Epicureo et scepticorum scriptis leguntur. Tertio tam incertas et vagas notiones habet auctor iste de rebus moralibus ut in plures contradictiones incidat: ita ex. gr. ubique docet laete fruendum rebus huini mundi, et nihil eo melius esse in hac vita, alibi vero hoc etiam vanum esse affirmat (II. 41): nunc ad laetitiam hortatur (VIII. 15; XI. 9) nunc autem illam uti stultam traducit (II. 2) et melius esse ire ad dominum luctus quam ad dominum convivii (VII. 3-5): sapientiam modo laudibus extollit (X. 1 seqq.) modo vanam et fastidiosam dicit (II. 13. 20); denique cum dixisset incertum esse quo post mortem vadat spiritus hominis (III. 21) postea affirmat corpus quidem hominis in terram reversurum, spiritum autem redditurum ad Deum qui dedit illum (XII. 7). Hinc concludunt adversarii librum Ecclesiastis erroribus moralibus et contradictionibus plenum esse.

Responsio ad praecedentes difficultates.

Quæ superioris obiecta sunt diu exercuerunt ingenia interpretum, qui in diversas abeunt sententias. Universum tamen duæ sunt viae ad huiusmodi difficultates solvendas: vel enim 1^a negatur principia illa, quæ Epicureismum vel scepticismum redolent, a

Salomon ex propria sententia prolati esse, vel II^o hoc admittitur, et illa omnia benigne et iuxta normam sanae rationis exponuntur. Operaे pretium erit utrumque respondendi modum breviter declarare.

I. Declaratur prima responsio eorum qui negant obiecta loca ex Salomonis sententia prolati esse.

Qui hanc respondendi viam inueniunt variis modis librum expoununt. Nonnulli recentiores totum librum Ecclesiasticum per modum dialogi scriptum esse putant inter Sadduceum et Phariseum, quorum primus volupates et temporalia commoda landat et prosequitur, alter contra vitae austerioriter extollit, nempe iuxta proprium uniuscuiusque sectae ingenium. Verum hoc affirmit non tantum qui Salomonis librum abudicant, eumque scriptum existimant post tempora imperii Macedonici, postquam scilicet Sadduceorum et Phariseorum controversiae ortae fuissent. Qui vero communem sententiam sequuntur de Salomone libri huius auctore, nullo respectu habito ad Sadduceos vel Phariseos, duos inducent loquentes, primum quidem in 1^o parte libri, vanitatem et molestiam praesentis vitae exaggerantem, alterum vero in 2^o parte prioris querelas castigantem, et crebro insinuantem non obstantibus malis huius vitae, moderatam laetitiam et tranquillam bonorum temporaliū usum laudabilem esse. Hi auctores opinionem suam stabilire conantur ex eo quod in principio libri querelas de vanitate et molestia rerum humanarum solas occurrant, deinceps vero semper rariores sunt et circa libri finem prorsus cessant; contra vero monita di hilari vitaे usu Cap. IV incipiunt, et paullatim crescunt usque ad finem. Verum, ut scite observat Ackermann *Introductio in libros V. T. S. 204.* huiusmodi libri partitio inter duos loquentes fundamento caret; nam duo illa, scilicet vanitas rerum omnium, et laetus vitae usus, in praecipuis capitibus coniuncta inveniuntur, ut ex. gr. Cap. II, 4-20 coll. 24, 26, III, 10, 11, coll. 12, 13, 22, etc. Denique generalis assertio quod omnia vana sint quemadmodum in libri exordio I, 2 ita in fine XII, 8 reperitur.

Omissis itaque huiusmodi artificiosis et incertis explicationibus, alii auctores, qui primum respondendi modum tenent communiter affirmant librum Ecclesiasticum per modum unius orationis a Salomon exaratum esse, in qua tamen polemica oratione impiorum falsas sententias et stultas argumentationes ipsis eorum verbis pro-

ponit tamquam obiectiones, quibus paullatim respondet vera principia hue illuc opponens, ambigos sensus declarans, et ita gradatim errores dissipans donec in fine omnes simul perstringat et iugulet magnifica illa conclusione ad quam totus liber tendit: « *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time et mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo: et cuncta quae sunt adducet Deus in iudicium* » (XII, 13, 14).

Huiusmodi responsio praecepit a Graecis Patribus adhibetur, quibus nonnulli etiam Latinorum Doctores atque interpretes accedunt, ut ex. gr. Gregorius Magnus Lib. 4^o Cap. VI Dialog. S. Thomas 4. q. 75 a. VI ad 1^o ubi explicans verba Ecl. III. 19 observat ea a Salomon proferri in persona insipientium (1); ita etiam Lyranus, Calmet, Veith et alii. Horum sententia difficultatem funditus everuit. Quae enim primo et secundo loco obiecta sunt, in hac hypothesisi, vere damnanda ac reprobanda essent, quemadmodum ab ipso sacro Scriptore reprobandi. Quae autem tertio loco obiectebantur de contradictionibus in libro Ecclesiasticus occurribentibus facile intelligerentur; contradictiones enim revera existerent, non tamen inter eiusdem auctoris sententias, verum inter impiorum ac stultorum verba, et sacri Scriptoris principia.

Fundamenta huius opinionei esse possunt 1^o ipsa difficultas recte intelligendi citata loca, quae in suo obvio sensu accepta errores continent. 2^o Contextus quorundam locorum id confirmare videtur, ut ex. gr. II. 15-20, III. 18, seq. etc. ubi Salomon videtur quasdam conclusiones falsas ponere non iuxta mentem ac sensum quam tunc habebat, sed iuxta cogitandi rationem que illum fortasse deeriperat cum vanitati plus aequo indulgeret, et a recto tramite aberraret, vel etiam iuxta illud quod stulti in similibus adjunctis constituti cogitare solent. 3^o Confirmari videntur haec sententia ex comparatione cum libro Sapientiae ubi ex sententias et ex persona Salomonis scriptor loquitur. Siquidem in cap. II similis insipientium errores proponunt ex. gr. v. 2: « *Qui ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus. cinis erit corpus nostrum et spiritus diffundetur tamquam mollis aer* » unde concludunt v. 6 seq. « *Venite ergo et fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter... coronemus* »

(1) Verum in 2, 2 q. 164 a. 1 ad 2^o eadem verba iuxta rectam rationem explicat tamquam verba S. Scripturæ.

*nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra... ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra, et haec est sors» et ita deinceps. Hanc comparationem urget S. Thomas loc. cit. ut ostendat etiam verba Ecclesiastis obiecta ex persona stultorum posita esse. Unum discrimen est quod in libro Sapientiae id expresse monetur, praemittitur enim initio Cap. II: «Dixerunt enim (impii) cogitantes apud se non recte, » et postea sequuntur citata verba; in Ecclesiaste autem non expresse monetur sed lectori intelligendum relinquitur. Nec obstat frequens mutatio personae loquentis, nam haec saepissime occurrit in sacris libris praesertim poetici, ut est noster, absque ulla admonitione. Weissenbach citatus a Veith (*Scriptura contra incred. propugn.* V. T. pars V. sect. 3, quæst. 3) suspicatur in autographo libri Ecclesiastis verba impiorum diverso characteris genere exarata fuisse, ut possent statim a lectore distinguiri, sed postea a librariorum differentiam illam characterum neglectam fuisse.*

II. Exponitur secunda responsio eorum qui obiecta verba sacro Scriptori tribuenda esse docent.

Pluribus Sacrae Scripturae interpretibus prima responsio minime arridet utpote quae fundamento carere videatur, et minime necessaria sit ad difficultatem solyendam. Existimant enim omnia illa loca, quae ex Ecclesiaste obiciuntur verum ac rectum habere sensum a Salomonem intentum, iuxta quem explicanda esse dicunt. Ita plerique ex Latinis Patribus et recentioribus interpretibus. Iuxta horum sententiam ita propositae difficultates solvi possunt.

Resp. ad 4th obiectum de Epicureismo; distinguendum esse abusum rerum temporalium a legitimo eorum usu. Porro nullus est locus in libro Ecclesiastis ubi aperte doceatur rebus huius vitae sine moderatione et contra rationem dictamen fruendum esse, quinimo moderatus vitae usus, et cum Dei timore coniunctus ubique suadetur. Id enim significant verba illa quae in obiectis locis recurrunt, *doum Dei esse*, quod bonis temporalibus uti licet, tum etiam et præcipue quod passim inculcat *Deum timendum esse et iudicium eius formidandum* (XII, 13, 14), *mandata Dei* sedulo observanda (ib.) concupiscentiam fraenandam (XI, 10) sectandam religionem et probitatem et divinae providentiae fidendum (V. passim), immodicam laetitiam fugiendam (VII, 3, 4), ipsas voluptates vanas esse (XI, 9, 10), denique mortis considerationem tamquam

utilem fovendam (VII. 3). Haec profecto cum Epicureorum et incredulorum cogitandi et agendi ratione minime convenient. Aliunde vero temperata laetitia, et honestus honorum temporalium usus condemnari non possunt. Quare potuit sapienter Ecclesiastes ad haec homines hortari, praesertim homines considerans praescindendo ab aeterna vita, de qua tantum in secunda parte verba facit, et relative ad eorum conditionem qui in rerum temporalium acquisitione omne tempus omnesque vires insumunt, et pessundant: certe enim prudentius sub hoc respectu ac aequius est vitae tranquillitati et laeto honorum usui indulgere, quam seipsum inanibus curis consumere. Altiorum tamen finem clare ostendit in fine libri et praesertim in conclusione superioris citata (XII, 13, 14). Nec omitendum est Salomonem sub veteris Legis oeconomia scripsisse, quae non adeo sublimem ac perfectam morum doctrinam praeferebat ac in Evangelica lege sit, in qua licet non damnentur dignitiae ac bona huius vitae, frequentius tamen earum renuntiatione, voluntaria paupertas, carnis mortificatio laudantur et suadentur.

Ad 2nd obiectum quod attinet, scilicet de scepticismo et de negata animas immortalitate, respondent etiam haec explicari posse. Imprimis enim auctor aperte prodit suam sententiam de animorum immortalitate et aeterna vita vel misera vel beata, non solum cum ad sectandam iustitiam et fugiendam peccata provocat, sed etiam expresse in cap. XII, 7 inquiens: «Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum» et v. 14: «Et cuncta quae sunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit.» Quare necesse est obiecta verba (III, 18-22) recto sensu explicare, scilicet cum ait: *unum esse interitum hominis et iumentorum, et nihil habere hominem iumento amplius*, intelligendum est non de anima eiusque vita, sed de corpore et de conditione vitae animalis: sub hoc enim respectu vere similes sunt homines brutis, iisdem legibus subiecti, plerumque etiam infirmiores, quemadmodum animadverbit S. Thomas in locis citatis. Quod autem ait Ecclesiastes v. 21: «quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus iumentorum descendat deorsum?» potest imprimis aliter legi iuxta textum originalem, qui literaliter ita reddi potest: «Quis novit spiritum filiorum hominum, qui (spiritus) ascendit sursum, et spiritum iumentorum, qui descendit deorsum in terram?» quo difficultas

non solum evanescit sed contra adversarios retorquetur. Vel etiam accepta lectione Vulgatae verba illa: « *Quis novit?* » possunt ita intelligi ut Auctor non neget discrimen inter pecudes et hominem secundum animae dignitatem, sed adiiciendo *quis* difficultatem rei voluit demonstrare. Haec enim loquendi formula in Scripturis sanctis non de impossibili, sed de difficulti plerumque accipitur ut Is. LIII, 8 *Quis enarrabit?* Ps. 14. 1 *quis habitabit?* Ier. XVII. 9 *quis cognoscet?* etc. (Ita Hieronymus in h. l.). Vel etiam intelligi potest de scientia experimentali, secundum quam nescimus quo pergit humannus spiritus cum corpore separatur.

Ad 3^o denique obiectioem de contradictionibus, respondent has commode componi posse et apparentes tantum esse. Et sane potest quis alios hortari ad laetum rerum temporalium usum, si mulque declarare etiam ibi inesse vanitatem: quamvis enim ea bona licite usurpari possint et hominis animum uteunque relaxent, non quam tamen perfectam homini felicitatem afferunt. Eodem modo potest quis absque illa contradictione laudare moderatam laetitiam quam quis proprio labore sibi comparavit, eodemque tempore damnum immodicum et esfraenatum impiorum gaudium, et docere multo melius esse cum bonis affligi et tristari, quam ridere cum impiis. Ita etiam commendare quis potest veram sapientiam quae praecipue in Dei cognitione et in moribus ad iustitiam componentis consistit, et ex alia parte contemnere ac reprobare mundanam sapientiam quae in divitiis accumulandis, temporalibus negotiis expediendis, et proximorum animis astute circumveniendis occupatur. Ex hisce appetit obiecta loca, etiamsi Salomonii ipsi ex propria mente loquenti tribuantur, tamen recto sensu intelligi posse.

Haec satis sint *de specialibus quaestionibus* circa veracitatem librorum Pentateuch posteriorum. Plures aliae quaestiones videri possunt apud saepius laudatum Veith op. cit. Pars II-VI Veteris Testamenti, et apud Glaire in *Libris Sanctis vindicatis* Tom. II (1) aliquos probatos auctores.

Nunc ad Pentateuchum veniendum est.

(1) Exstat hoc opus etiam Italica lingua redditum cura Compilatorum Bibliothecas Catholicas et Neapoli editum.

ARTICULUS II.

DE VERACITATE PENTATEUCHI, SEU LIBRORUM MOysi

Demonstrata librorum Pentateuch posteriorum veracitate, iam ad ipsum Pentateuchum seu libros Moysi accedendum est, quorum veritas eo maiori diligentia demonstranda ac vindicanda est quo maior est eorumdem librorum antiquitas, difficultas, et gravitas, et quo vehementius ab religionis hostibus impugnari solent. Contra hos enim libros mirum est quanto impetu ferantur tum veteres tum recentiores increduli ac rationalistae, quorum ali Moysen fraudis ac mendacii accusare audent, quemadmodum impius auctor libri *De tribus impostoribus*, alii vero ex mythico systemate narrationes Mosaicas pro *fabulis* vel *legendis* habendas esse volunt quas auctor ex populari traditione collectas, in defectu verae historiae scripto consignaverit. Iuxta horum systema protoparentum creatio, et dona supernaturalia quibus a Deo instructi fuisse dicuntur, eorumdem lapsus et naturae humanae corruptio inde sequuta, diluvium in orbem immissum in peccatorum poenam, promissio futuri Reparatori, frequentes Dei apparitiones, mirabilis Dei providentia in familia Abrahami tuenda et revelationis depositio per Hebraeorum gentem custodiendo, et cetera quae praeter ordinarium naturae cursum accidisse referuntur nihil aliud sunt quam naturalia facta plus minusve ex populi phantasia vel superstitione exaggerata et in portenta transformata, vel etiam sunt symbolica et mythica involuerunt quibus veritates quaedam naturalis religionis adumbrantur. Itaque contendunt ab omnibus hisce fragmentis Pentateuchum ope critices liberandum esse, ut vera historia ac doctrina sub illis latitam eruat. Ita post Eichhorn, de Wette et alii saepius commemorati, inter quos eminent nostra aetate Ewald in sua *Historia populi Israel* (ed. 3^a 1864) et Colenso in saepius citato opere de Pentateuco et Josue libro (ed. 2^a 1862-65). Contra horum temeritatem et praeconcepcionis errores constituumus sequentem Thesim.